61702/P

LAFONT, F. de
C

QUÆSTIO MEDICA
EAQUE THERAPEUTICA

An Aſthmati convulſivo Anti-Spaſmodica Remedia conveniant.

Quam Deo duce & auſpice Dei parâ

AUSPICIIS

Perilluſt. Nobil. & Reverendiſſimi Domini

D. FRANCISCI ABBAT.

DE TULLIA

Antiqui Stæ Tricaſtinenſis Eccleſiæ Præpoſiti, tertiùm Primicerii.

PRÆSIDE

ILLUSTR. AC NOBIL. D. D.

JOSEPH. GASPARD. GAUTIER.

Doct. Med. Aggreg. Regente ordinario, ac Profeſſore Primario & Botanico.

TUERI CONABITUR,

NOB. D. FRANCISCUS DE LAFONT

Avenionenſis jam dudùm Artium Magiſter, ac Medicinæ Baccalaureus.

In Aula Univerſitatis die Menſis Januar. 1718. *ab horâ 2ª pomerid. ad veſperam.*

PRO LICENTIÆ GRADU.

AVENIONE,

Apud FRANCISCUM MALLARD;

318332

WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

QUÆSTIO MEDICA

An Aſthmati convulſivo Anti-Spaſmodica Remedia conveniant.

QUANTA ſit reſpirationis neceſſitas, quantus uſus, non ſolum ex eo patet, quod natura in ſingulis viventium ſpeciebus, varia ſed analoga paraverit organa huic functioni inſervientia, (quæ pulmones, tracheaſvè vocamus) Verùm facili negotio vel in ſe ipſo experietur quiſque, quam ſit ad vitam neceſſarium illud munus, ſi vel tantillùm ore & naribus exactè clauſis, reciprocantem reſpirationis motum cohibere nitatur; mox enim adeò ſuffocari ſe ſentiet, ut aëriferis ducti-

bus illicò patefactis, non modò eam quæ anteà ſufficiebat aëris quantitatem, ſed etiam uberiorem recipere, naturâ flagitante, cogetur. Si quidem tributo aëreo per elevationem thoracis in pulmones propulſo, & quaſi verberato, impetuoſus ſanguinis rareſcentis motus quadantenùs reprimitur, novaque materia ad ejus fermentationem perennandam, nativumque calorem fovendum illi continuò ſuppeditatur; quin & exuvias multas ex gremio ſuo ſanguis in expiratione dimittit, atque ita aëris beneficio elaboratur & perficitur, ut illius partes debitam fluiditatem, configurationem, & elaſticitatem adeptæ, rutilanti tandem colore purpureſcunt.

Inter vitia autem motum hunc reſpirationis, vitæ tantoperè utilem præpedientia, aut ſufflaminantia, Aſthma tanquàm præcipuum meritò ſolet annumerari, per difficilem crebram, anhelantem, ſibilumque edentem reſpirationem, deſignatum, qui affectus pro ratione majoris aut minoris ſævitiæ & Tyrannidis, ab auctoribus nimis curioſè nominibus ſtu-

dentibus, triplicem obtinuit denominationem, ſcilicet Aſthmatis propriè dicti; Orthopneæ & Diſpneæ. Verùm qui rem potiùs quàm nomina attentè conſiderant in pneumonicum & convulſivum hunc affectum diviſere; ideò ſanè quia dùm veſicularis pulmonum ſubſtantia, Bronchia, aut aſpera arteria conſtrictione aut obſtructione obſidentur, aëri haud liber conceditur in eas partes tranſitus, ſine cujus penu copioſè ſuppeditato difficilè ſemper exercetur reſpirationis officium. Pariter ſi fibræ machinæ movendæ dicatæ, aut nervi prædictis partibus proſpicientes, in ſpaſmodicas criſpationes trahantur ab inordinato ſpirituum motu, qualis contingit in omnibus affectibus convulſivis, tunc niſi ægrè admodùm peragitur reſpiratio, ſicque aſthmaticus ſupervenit Paroxiſmus.

Causæ talem affectum inducentes ſunt ea omnia quæ ſanguinem nimis inſpiſſare, vel ſpiritus inordinatè agitare valent, ut ſunt ſex res non naturales quatenùs malè uſur-

pantur : enim verò ſanguis qui conſtante circulatione totius corporis penetralia perluit, dùm ſulphuribus impuris, aut particulis acidis conſpurcatur, ad motum fit ineptus, & maximam acquirit lenteſcentiam, quâ ſegnis factus difficulter anguſtiſſima pulmonum aut partium ſpiritalium vaſcula trajicere valet, undè hærendo obſtructionem aut compreſſionem inibi excitat, quâ partes illæ quæ aliàs liberè & ad ſe facilè expandendum debent eſſe paratæ, mox coarctatæ & compreſſæ haud liberum aëri permittunt aditum. Lympha etiam ex penu ſanguinis delibata viſciditate affecta, & per tracheales glandulas extillans ſimili penè modo eundem tyranniſſimum affectum invehit, qualem à ſanguine extravaſſato, pure, calculis, tuberculis, ſchirris partes eas ſpiritales comprimentibus, & infarctu vitiantibus, oriri poſſe notum eſt. Quin imò & ipſe ſanguis ſeu lympha inſolenti particularum acutarum ſatellitio ſtipata, fibris reſpirationis motricibus, vel nervorum ramis, aut eorum prin-

cipiis ſpicula ſua acida impertiens, ſpiritus animales ciet in varias excurſiones, aut nervorum tubulos obſtruens eorum influxum impedit, undè tono & diſpoſitione in prædictis fibris multùm variato in ſpaſmodicas contractiones ſeriatim concitantur, à quibus Spaſmi irregulares & Aſthmatici producuntur.

Difficilis autem reſpiratio in Aſthmate ſemper ægrotantes exercens provenire videtur ex aëris in Pulmones ſeroſo inundatos diluvio, aut ſanguine in vaſis lenteſcente compreſſos, aut aliâ materiâ infarctos impedito viciſſitudinario ingreſſu.

Sibilum deduces ex aëris cum particulis ſeroſis alliſione non multùm viſcidis, aliter ſtertor potiùs quàm ſibilus ederetur.

Cum veró multa ſint quæ proponi poſſunt dubia circà varia Aſthmatis ſymptomata, iis breviter hîc reſpondere conabimur.

Et 1° quidem quæri poteſt cur intercoſtales muſculi actione validiſſimâ agitentur in Aſthmatico Paroxiſmo, dùm omnes ferè alii corpo-

ris muſculi ad motum ſunt inertes; cui dubiò reſpondetur, quod cum nervi Pulmonum compreſſi in hoc caſu reperiantur, animales ſpiritus, qui libero tranſitu eos ſubire nequeunt, in nervos reſpirationis influere cogantur; ita enim ſapienter ab Auctore naturæ proviſum eſt, ut ſibi mutuò inter ſe ſerviant corporis partes ac in ſubſidium viciniores occurrant: ſic propiùs ad ignem admotis fortuitò digitis, ſtatim brachii muſculi contrahuntur, etiam citrà animi conſenſum; & amiſſo uno oculo, ſuccreſcunt alteri vires; Pari igitur ratione, dum Pulmones in Aſthmate afficiuntur, muſculi intercoſtales validiùs contrahi debent, ut ipſorum defectum quadantenùs ſuplere valeant.

Quæritur 2° cur Aſthmatici febre careant, quod quidem provenire cenſemus ex eo quod ſanguis cùm ſit valdè craſſus & indigeſtus, Principia fermentativa ita ſunt obvoluta Particulis ſulphureis, ut difficiliùs extricentur.

Quæritur 3° Cur etiam ſi Pulmones

nes Aſthmaticorum ſanguine ingurgitentur, nulla tamen excitatur inflammatio, cui dubio reſponſum ſuperius allatum rectè ſatisfacere poteſt; Cum enim ſanguis ita diſpoſitus fermentationi præter naturali ſuſcipiendæ ſit impar, impar & pariter inflammationi concipiendæ eſſe debet; quandoquidem ad inflammationem requiritur ut ſanguis hærens in parte fermenteſcat.

Quæritur tandem cur in vehementi Aſthmatis Paroxiſmo ægrotantes niſi erectâ cervice & ſedentes reſpirare queant. Quod evenire conjicitur ex eo quod corpore decumbente, viſcera, & muſculi abdominis proprio ſuo pondere diaphragma verſùs pectus impellentia, efficiunt ut niſi difficulter moveatur, dùm vero erecto corporis ſitu ſe habent, proprium viſcerum pondus deorſùm trahit illud, & ex depreſſo diaphragmate minuitur reſpirandi difficultas.

Porrò duæ illæ Aſthmatis ſpecies, illa nempé pneumonica, & altera convulſiva intermiſſiones periodicas habere ſolent, uſque dúm vel in illâ

ſatis materiæ comprimentis aut obſtruentis Bronchia, aut Pulmones, aggeratur , ſeu in cruore fermentationes immodicæ ab aliquâ causâ excitentur , quibus partes illæ jam anteà compreſſæ ulteriùs comprimantur.

In Convulſivâ autem non ut placet Vvilliſio, fiunt intermiſſiones periodicæ per aggeſtionem particularum hæterogenearum per tubulos nervorum in magna quantitate dilabentium, ſed per eaſdem ſanguinis peculiares fermentationes, per quas jam poris & viis ſemel apertis & diſpoſitione in parte contractâ , Particulæ cuſpidatæ & pungentes in ſanguine exuperantes facillimò elutriantur negotio , & in nervos fibraſque muſculares, & partes thoracem moventes , impulſæ eas irritant ad contractiones. Hæ duæ Aſthmatis ſpecies ſimul unitæ aliquando , non ſine magno ægrotantium diſcrimine animadvertuntur excitatæ ab eadem causâ ; quanta enim mala ex tyranniſſimo illo affectu profluere videntur , & exſuſcitari valent ; non ſo-

lùm enim ob ſuam pertinaciam, & rebellem naturam difficillimè curatur, ſed inſuper hydropem multoties, Cachexiam, Pthyſim, Apoplexiam, & alios quàm plures graviſſimos morbos ex vitiata ſanguinis craſi inducere valet. Porrò Aſthma convulſivum raró ſolum reperitur, alioſque convulſivos affectus ut plurimùm comitatur, ſcilicet Epilepſiam, Incubum, nec-non Hyſtericos & Hypocondriacos Inſultus.

Cum autem, ut jam fuit notatum, morbus hic exacerbationes, & veluti Periodos patiatur, duplicem curandi occaſionem præbet; aliam nempè in Paroxiſmo, aliam extrà Paroxiſmum. Quæ datur extrà Paroxiſmum, parum ab eâ quæ adeſt in Paroxiſmo differre videtur, niſi per inducias, undè majus conceditur Medicinæ tempus. Prudens namque Medicus ſaluti ægrotantis maximè conſulens in Paroxiſmo faciliorem reddere intendet reſpirationem, compreſſionem ſeu obſtructionem Bronchiorum & Pulmonum minuere, & tandem tollere, depluentiſque ma-

teriæ in eas partes influxum reprimere ; Cui ſanè intentioni nullo prorſùs auxilio citiùs ſatisfacies quàm per Phlebotomiam, quâ fermentationes immodicæ ſi quæ dentur in cruore compeſcuntur, vaſaque (nè nimiùm partes ſpiritales comprimant) inaniuntur ; Circularis ſanguinis motus liberior, & inſtrumenta reſpirationis expeditiora redduntur. Deindè Vomitorium præſcribendum ut primæ viæ à ſaburra (quæ in hoc ſtatu ſanguinis, ſemper in ventriculo ob vitiatum fermentum ex ſulphuribus irretitum ſæpè adeſſe ſolet,) mundentur, multarumque Particularum acidarum ex primis viis in ſanguinem præpediatur proventus, viaque aliis remediis expeditior paretur ; cui quidem operi navando Cliſteres etiam acres non parùm inſerviunt ; ſed ut coagulati & grumeſcentis ſanguinis, ſulphurumque amplexus, & concreſcentiæ ſolvantur, incidantur, acidumque luxurians infringatur, abſorbeaturque, medicamenta volatilia Balſamica in-

cidentia & abſorbentia ſæpiùs exhiberi debent, veluti ſunt ſpiritus gummi ammoniaci , aſellorum , aquæ Cinamomi, Thericalis, Oximel Scilliticum , Syrupus Nicotianæ Quercetani, vel illius fumus tubulo hauſtus , flores Benjoini , ſperma Ceti , & omnia Teſtacea. Hæc & ſimilia maximè convenire cenſentur in Aſthmate Pneumonico : Verùm ſi à motu convulſivo & ſpaſmodico fibrarum aut nervorum reſpirationi dicatorum malum hoc oriatur ; ea remedia quæ Anti-Spaſmodica dicuntur proficua magis videntur ; inter quæ ſané mira præſtant ſpiritus Lumbricorum , ſuccinum præparatum , Cinnabaris Nativa , Ungula Alces , Caſtoreum, &c. Sed præ aliis (ſi magnus Pulmonum infarctus non fuerit) Pilulæ de Cinogloſſo & Laudanum Opiatum convenire cenſentur ; quæ cùm duplici conſtent ſubſtantiâ , aliâ ſpirituoſâ , & aliâ reſinosâ , ſpirituoſa motum ſanguinis leniter augere valet , quo motu ſpicula acida infixa , & ſpaſmos infe-

rentia dimoveri poſſunt, & per halitum avolare; in ſanguine verò reſtitantes particulas cuſpidatas reſinoſa irretit, atque ita ſpiritus ſuíque deque agitati domantur & coërcentur: Undè jure concludimus

Ergò Aſthmati convulſivo Remedia Anti-Spaſmodica convenire.

FINIS.